C.1.

66

VOTA
ET MOTIVA
A PROCESSV IN
CVRIA DOMINI IVSTITIÆ

Aragonum, ex Scribania Martini Thomæ de la Nuza, Regentis principalis illius, habito, & actitato, intitulato Processus Curatoris Philippi Castillo, super Grauaminibus.

IN PROCESSV, & causa in Curia Domini Iustitiæ Aragonum, habito & actitato, intitulato, *Processus Curatoris Philippi Castillo habitatoris Ciuitatis Cæsaraugustæ, super Iuris firma Grauaminum factorum:* interuenientibus in Camera Consilij eiusdem Curiæ, Illustribus Dominis Dominico Augustino Salabert, Ioanne Francisco Iubero, Ioanne Sanz de Armora, Ferdinando de Azcon, & Gaspare Lupertio Taraçona, Locumtenentibus Illustrissimi Domini Don Lucæ Perez Manrique militis, Maiestatis Domini nostri Regis Consiliarij, ac Iustitiæ Aragonum: Existenteq; dicto, & præintitulato Processu in deliberatione super sententia diffinitiua, in eodem ferenda, tàm dictus Dominus Ioannes Franciscus Iubero dicti Processus & Causæ Relator, quàm cæteri Domini Locumtenentes concordes, fuerunt, & sunt opinionis & voti. Quod tenetur, & debet pronuntiare, Iurisfirmam oblatam, obtentam, & præsentatã pro parte Petri Hieronymi Castillo Curatoris Philippi Castillo principalis Mathiæ de la Rosada Procuratoris, fore, & esse recipiendam, & admittendam, eamquè recipi, & admitti debere quoad omnia Grauamina in Cedula Grauaminum pro eius parte oblata, deducta, & articulata: & reformando sententiam Iudicis aquo, mandare vendi domos in fine Petitionis pro parte dicti Curatoris corã Iudice à quo oblatę confrontatas, & designatas, & de precio illarum satisfieri dicto Curatori, nomine curatorio prædicto, de quantitate duo-

duodecim mille solidorum Iaccensium, ratione Commandæ in eadē petitione mentionatæ, vna cum expensis taxandis: & residuum prætij mandare restitui Licentiato Dominico Laporta & Cortès principali Michaelis Hieronymi de Rios Procuratoris; eidem silentium perpetuū imponendo: Cætera supplicata locū non habere. EX EO, & aliàs, quoniam constat, Michaelem de Armillas se obligasse, mediātē instrumento Commandæ, in fauorē Philippi Castillo, in quantitate duodecim mille solidorum Iaccensium, Philippumquè minorem eius filium esse sui patris hæredem. Ac etiam constat de dominio dicti Michaelis obligati, & sic merito declaratur, bona supradicta esse obnoxia dictę Commandæ, & mandantur vendi in solutionem eiusdem. NEQVE obstant quæ in contrarium adducuntur. Nam primum, quod coram Iudice aquo non fuit probatum, Philippum minorem esse filium legitimum Philippi patris, quod vt ei succesisset ab intestato requirebatur; cùm enim eodem modo quo filiatio fuit articulata; legitimè per testes sit probata in eo Processu, hinc resultat Dilema ineuitabile. Quod, aut est articulata filiatio cum qualitate legitimitatis aut non. Primò casu, iam fuit eodem modo probata, & hoc sufficit. Secundo verò casu, iam est in hac instantia dicta qualitas legitimitatis probata, & sic in vtroq; defuit pars conuenta. DEINDE non obstat, quod dominium Michaelis obligati non videtur legitimè probatum, cùm non constet de eius, vel suorum antecessorū possessione per triginta Annos, aut de alio titulo sufficienti ad translationem dominij. Nam respondetur, pro parte dicti Philippi minoris in sua petitione possessionem triginta annorum fuisse articulatā, sed cùm in defensionibus ipsius conuenti expresè articularetur, dicta bona apprehensa ad Doctorem Ioannē de Armillas pertinuisse, ab eoquè ius & causam habere: & postea pro parte eiusdem actoris replicetur & exibeatur legitimum titulum Donationis concessę ab eodem Ioanne in fauorem Michaelis obligati, non fuit postea necessariū aliam probationem dominij adducere præter ipsam Donationem; nec opus erat in Petitione eam deducere: quia in ea iam fuit articulatum dominium cum possessione triginta annorum, & alijs titulis, quod forte aliter probasset, nisi ei de dominio dicti Ioānis fuisset obiectum. Vnde, cum eius inclusione postea legitimè dominium obligati potuit probare, & probauit, nec potest actori quæstionem dominij reus ipse refricare. MINVS momenti habet quod pro parte

te eiuſdem conuenti obijcitur, non fuiſſe exhibitum in hoc proceſſu Inſtrumentum Commandæ ſupradictum, neque in Copia proceſſus Iudicis aquo eiuſdem Commandæ Copiam reperiri. Facilis enim eſt occurſus: Nam, cum apud eundem Iudicem a quo legitimè, dictum inſtrumentum Cõmandæ fuerit exhibitum, faciendo fidem de quodã Proceſſu in quo originaliter, & tunc erat, & nunc reperitur, nõ erat amplius exibendum in hoc proceſſu: ſed ſatis fuit per Compulſam poſtea dictum proceſſum ad poſſe noſtrũ iuxta forales diſpoſitiones adducere. RVRSVS, non obſtant nonnulla prætenſa Cõmiſſa facta per duos Vicarios Parrochiæ Sãcti Petri eiuſdem Ciuitatis ad quos dominium directum eorundem bonorum pertinere omnes fatẽtur, & ex proceſſu legitimè reſultat. Nam primum, quod anno 1597. Procurator actoris in Proceſſu Ciſterno litiſpendentiæ confeſſus eſt à Domino directo factum fuiſſe, & eodem, eadem bona ad tributum de nouo conceſiſſe Mariæ Morlanos, ex quo pars conuenta contendit, ex confeſsione actoris, bona apprehenſa libera remanere à prædicta obligatione Cõmandæ. Reſpondetur enim, dictam Mariam Morlanos, fuiſſe tempore dictæ Tributationis, & nunc, eſſe vxorem dicti obligati: vnde ſaltem dimidia pars dictorum bonorum ad eum pertinet, & eſt illorum Adminiſtrator, dum viuit; & per conſequens adhuc ſunt dicta bona ſubiecta obligationi dictæ Cõmandæ, & debent vendi, ſine præiuditio tamen vxoris, ſuis loco, & tempore. Et vlterius licet pro parte actoris dictũ Commiſſum fuerit narratum, ex documentis tamen exibitis conſtat, non fuiſſe factas eius virtute debitas diligentias, & ſic de eius circumductione, pariterq; iuſtitia poteſt dubitari. VLTERIVS minus obſtat aliud Commiſſum factum, Anno 1610. Quia legitimè probatum extat, Canones ſolutos fuiſſe, quorum ob ceſſationem ſolutionis factum fuerat, nec conſenſus Mariæ Morlanos, quæ tanquam viduæ ſe geſtabat, vt propoſitio domini directi reciperetur in proceſſu Mariæ Morlanes, illo anno actitato, quidquam operari poteſt, cũ de vita eius viri, & de ſolutione Canonum debitorum legitimè in præſenti proceſſu conſtet. PRÆTEREA, nec aliud Commiſſum factum anno 1619. alicuius eſt momenti. Nam, cùm dominus directus paulò ante Commiſſum factum laudauerit quandam Venditionem domus de qua agitur, & ratione luiſmi, quantitatem ſibi debitam recepiſſe confeſſus fuerit, non potuit ob defectum ſolutionis Canonum ante Venditionem de-

decursorum, neque ex aliqua causa antecedenti bona in Commissum incidisse declarare. Vltra, quod non apparet de aliqua diligentia facta virtute dicti Commissi: & noua Tributatio concessa fuit in fauorem eiusdem possessoris, quod non leuem fraudis suspitionem inducit. DENIQVE non obstat vltimum Commissum anni 1621. Quia cum factum fuerit propter obligationem Censualis supra mentionati concessi, & formati, anno 1596. in vita alterius Domini directi, eius successor non potest caducitatē declarare, & ipse Dominus directus commissionis laudauit, quandam Venditionem postea factam per Dominum vtilem: ex quo à Commisso antecedenti videtur recessisse, & aliàs attentis contentis.

Ioannes Martinus de Mezquita
Curiæ Domini Iustitiæ Aragonum
Secretarius.